

02 H 782





DE  
VALENTIANA,

EIVSQVE CHARACTERIBVS,  
VIRIBVS ATQVE EFFECTIBVS  
DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA,

---

QVAM

CONSENSV GRATIOSI  
MEDICORVM ORDINIS

PRO

SVMMS IN MEDICINA HONORIBVS OBTINENDIS

PVBLCICE DEFENDET

DIE III. IVNII MDCCLXXXIX

AVCTOR

IOANNES CAROLVS VON ACKERN  
SVECO-POMERANVS.

---

HALAE,

LITTERIS FRANCKIANIS.



V I R O  
A M P L I S S I M O,  
D O M I N O  
I O A N N I S I G I S M U N D O  
W E S T P H A L E N

R E I P V B L I C A E

H A M B U R G E N S I S S E N A T O R I G R A V I S S I M O,

F A V T O R I S V O

P I E S E M P E R C O L E N D O

D. D.

A V C T O R.

UNIVERSITÄT  
LEIPZIG  
BIBLIOTHEK  
WESTPHALIA  
RECHT  
MARBURGENSIS  
TAV  
PR  
AV

pi  
gu  
di  
T  
qu  
ph  
pe  
ta  
fe  
ve  
on  
dic  
Jan



## VIR AMPLISSIME!


Quas Tibi offero pagellas, Fautor  
pie colende, nescio quidem, si ex ar-  
gumenti gravitate iudicaveris, an fatis  
dignae videantur, quae amplissimum  
Tuum in fronte gerant nomen: attamen,  
quidquid de rerum pondere statuere Tibi  
placuerit, non dubito, quin animum  
perspicias Tibi deditissimum. Tot ac  
tanta enim sunt, quibus me a teneris  
fere unguiculis cumulasti beneficia, ut  
verear, ne verba mihi defutura sint, si  
omnia rite persequi vellem. Sed quid  
dico, rite persequi? quis hoc poterit?  
Jam vocem audire mihi videor, quae

noli, inquit, conari, eum virum laudare,  
qui omni laude superior est. Faciam  
igitur, quod possum. Summum precor  
Numen, sin aliud visum sit eius sapien-  
tiae, ut Te diu adhuc sospitem servet,  
quo reipublicae porro magna cum glo-  
ria intersis, Tuosque, quibus et me ad-  
numero, paterna cura amplecti pergas,  
et quam Tibi pro Tuorum meritorum  
multitudine decreverunt dii mercedem,  
eius saltem aliqua parte inter nos frua-  
ris. Scripsi in Academia Fridericiana  
die 27<sup>ma</sup> Maii 1789.

JOANNES CAROLVS VON ACKERN.

---





*De Valeriana,*

§. I.

**A**rgumentum, de quo meas atque aliorum observationes, quae notatu maxime dignae videbantur, hisce pagellis mandare constitui, inter quam plurima alia, quae ad rem medicam pertinent argumenta, eximiam utilitatem polliceri videtur. Eorum enim morborum, qui functiones machinae animalis praecipuas laedunt, dirisque et horrendis cruciatibus interdum plurium annorum decursu, miseros mortales affligunt, antequam in certam perniciem ipsos detrudant, mor-

borum inquam, qui *nervosum systema chronicè*  
 vel *acuta labe* afficiunt, medelam scitu imprimis  
 necessariam esse existimo. Neminem fugit, mor-  
 bos nervorum, hos volo, qui convulsionum aut  
 aliorum gravissimorum symptomatum praesentia  
 nervosum systema periclitari testantur, si qua  
 alia, hac certe nostra aetate frequentius obser-  
 vari, a variis causis deducendos, quibus prae-  
 ter mollem atque lautiozem diaetam varia vitae  
 lascivae atque dissolutae genera, ipsamque ab ho-  
 rum pernicioza vi olim productam diathesin hae-  
 reditariam adnumerandam censeo. Quanti igi-  
 tur cognitio, sedulo studio atque impigra obser-  
 vatione comparata, non solum ipsorum eius ge-  
 neris pathematum, sed remediorum etiam, con-  
 gruæ ipsorum medelae destinatorum, faciendæ  
 sit, de eo quidem ulterius lectorem monere, su-  
 pervacaneum prorsus existimo. Dolendum au-  
 tem videtur, horum morborum naturam atque  
 indolem plurima ex parte aut prorsus nos latere  
 aut vel sagacissimo scrutinio indefessi observatoris  
 vix in apricum poni, quod non sine multo labor-  
 re, non sine ardua atque paucis certe a superioribus  
 concessa solertia ac sedulitate post varia pericula  
 frustra subeunda contingere solet.

## §. 2.

Hoc vero in affectus nervosos, convulsione  
 stipatos, prae reliquis cadere, neminem fugit.  
 Causas eiusmodi morborum, inter quos Epilepsia  
 primas tenet, perscrutaturum vel maxime solers  
 industria, in tanta caligine dissipanda consumpta,  
 parum iuvabit. Saburrae verminosae dubiis si-  
 gnis per aliquod temporis spatium animum atque  
 auxilium adplicans non raro oleum atque operam  
 se perdidisse queretur. Causas antecedentes, in  
 convulsivorum morborum scrutinio plerumque  
 difficilius longe, quam in permultis aliis eruen-  
 das, aut ipsius aegroti incuria atque inscitia den-  
 sis tenebris involutas, raro attinget, aut rite  
 observatis medelam adhibere vix poterit, morbi  
 vehementia atque acuto decursu impeditus, eam-  
 que ob causam ad remedia, quae *specificorum*  
 nomine celebrantur, confugere erit coactus.  
 Multum itaque ex re nostra esse videtur, omnia,  
 quae tantam humani generis calamitatem aut  
 omnino tollere, aut sublevare certe poterunt,  
 attento animo perscrutari. Egregie commerue-  
 runt de universa re medica, omniumque aegro-  
 tantium rebus, quicumque remedia, nervos sti-  
 mulo naturae legibus contrario incitatos, ab illa

labe liberatura detexerunt, atque hoc modo se-  
ram posterorum gratiam obstrictam tenuerunt: gi  
neque eorum labores frustra adhibitos esse opi- mo  
nor ac spero, qui huiusmodi remedia, ipforam- sen  
que vires atque effectus, Maiorum industria olim Val  
observatos, novo atque omni cura instituto exa- de  
mini subiicere allaborant, nullam maximorum- tian  
virorum auctoritatem secuturi, nisi naturae suf- mi  
fragiis exornatam eam agnoverint. der  
Hoc  
ulto  
rum

## §. 3.

Iisdem de causis remedium, cui inter alia  
quam plurima palmam deberi, nemo negaverit,  
*Valerianam* inquam, tanquam illustre argumen-  
tum sumsi, dissertationi meae inaugurali praefi-  
gendum. Quanti vero egregium hocce medica- san  
mentum faciendum esse arbitrer, facile patebit. sca  
perlustraturo ea, quae sequentibus paragraphis mitte  
de indole atque chemica huius plantae analy- que  
(quae ipsam tamquam efficacissimum remedium- rim  
vel ipsis sensibus nostris offert, quae vel primis- tuci  
labris eam degustanti, eximiam eius praestant- que  
tiam indicare videtur) quae porro de miris vale- tav  
rianae effectibus in multorum morborum gravissi- mpr

morum decursu obviis commemorabuntur. Egre-  
 gium et nunquam fatis laudandum plurimorum  
 morborum, qui a prava et morbofa nervorum  
 sensibilitate originem ducunt, praesidium constituit  
 Valeriana: ita quidem ut meo certe iudicio, quod  
 de Antimonio praedicat illustris SELLE, de Vale-  
 riana aequo iure possit praedicari: „Tantae ni-  
 mirum esse utilitatis medicamentum, ut hocce  
 deftitutus, medicinam facere omnino nollem.“  
 Hoc vero iudicium a me nec temere, nec incon-  
 sulto proferri, ex iis quae sequuntur, apparitu-  
 rum spero.

§. 4.

Ut vero methodus lectoribus, antequam ad  
 ipsam tractationem me accingam, apertius inno-  
 tescat, necessarium esse existimavi, pauca prae-  
 mittere, quae tractationis nostrae seriem at-  
 que ordinem spectant, in dicendo observandum.  
 In primo quidem Historiam egregii medicamenti, in  
 caucis aliis memoratu digniorem praemittere,  
 etque characteres botanicos adiacere ex re esse  
 praetavi. Chemicam adiunxi analysin, eamque  
 simplicissimis non omisi, quae absque ignis ope po-

test absolvi, cui sane plus fidei habendum existimo, quam illi, quae vehementi ignis ope instituitur. Variis itaque principiis, Valerianam constituentibus (quatenus hac nostra aetate Chemicis licuit, plantarum prima principia rimari) attentissimo animo observatis, ipsam tractationem virium eximia Radicis aggredi potui. Huic tandem Catalogum morborum adiiciendum duxi, quibus, si quod alio, hoc certe remedio, opem ferre poteris.

Ad calcem vero nonnulla de aliis quibusdam Valerianae speciebus commemorantur, quae viribus analogis gaudent, quorsum Valerianam Phu Linn. et Valerianam dioicam Linn. referre debere autumo, quibus autem Valerianam, veram aromaticam, quae Celtica Botanicis vocatur (Nardus celtica officinarum) nequaquam adnumero.

Agmen denique clauditur brevi recensione Medicamentorum ex Radice Valerianae praeparatorum: quae pauca praelibare volui, antequam ipsam Characterum, virium atque effectuum Valerianae descriptionem ordiret.

## SECTIO I.

*Brevis Valerianae historia.*

## §. 5.

Nullus dubito, plantam Europae indigenam et vulgo Valerianae nomine notissimam, cuius characteres botanicos infra adducemus, Antiquis notam fuisse. Ea nimirum planta, quam Φου Dioscorides appellat, sive Nardum-agrestem, a Celtica Nardo, quam ipsemet describit omnino diversam, ex affe videtur respondere Valerianae nostratium officinali. Haec vero sunt, quae de planta aromatum censui adscripta περι ύλης ιατρικης A. I, περι Φου commemorat. „Φου, inquit, «οι δε αγριαν ναρδον καλουσι. φυλλα εχει ελαφο- «βοσκα η ιπποσειλιω ομοια. καυλον πηχυαιον η «μειζω. λειον. τρυφερων. εμπορφυρον. μεσοκοιλον. «δειλημμενον γονασιν. ανδη προς τα του ναρκισσου. «μειω δε και τρυφερωτερα. και εν τω υπολευκω δια- «πορφυρα. ριζα δε η μεν ανωτερα περι δακτυλον «μικρου το παχος. πλαγια δε επιρριζια εχει καθα- «περ σχοινος η μελας ελλεβορος. αλληλοις επιτεπλεγ-

„μενα. ὑποξανθα. ευωδη. ναρδιζοντα τη σμη μετα  
 „τινος βαρους βρομαδους.“ Planta, quae Phu  
 aut silvestris Nardus quibusdam vocatur, folia  
 habet Hippofelino similia, caulem cubitalem, te-  
 nerum, purpurascentem, cavum, geniculis inter-  
 ceptum. Flores Narcisso haud abfimiles, verum  
 minores ac teneriores, albidos ex purpureo.  
 Radix superior schoeno aut nigro Elleboro simi-  
 lis, parvi digiti modulum implet, et subflavas,  
 suaveolentes, ad nardum non sine quadam odoris  
 virulentia accedentes radículas ad latus emittit,  
 vario modo inter se convolutas.

## §. 6.

Nonne, quae modo adduximus signa iis, quae  
 (§. 7.) adducentur, satis apte respondent? Mihi  
 sane videtur. Locus citatus C. Plinii Secundi de  
 ea planta, quam Phu appellat, eandem, quam  
*Dioscorides* describit, tangere videtur, cui vero  
 pluribus collaudando vacare, instituti et limitum  
 dissertationi praefigendorum ratio vetat. Veteri-  
 bus ipsam plantae indolem vaporosam cognitam  
 fuisse neminem fugit: de eiusdem autem indole  
 nervos grato stimulo excitandi, apud antiquos



cautores altum omnino est silentium. Primo igitur *Fabio Columnae*, ex Lynceorum academia, cuius nomen multis aliis inuentis praestantissimis adsera usque nepotum tempora inclaruit, inclarescet, huius quoque inuenti palma debetur.

Verba eius, Valerianae vim antepilepticam exponentia, Phytobasano in Valerianae sive *φου* *Dioscoridis* descriptione (Ed. Jani Planci Ariminensis p. 92. fqq.) prolata adducere fas sit:

„Praeter vires, inquit, ab antiquis et recentioribus Valerianae tributas, addo et hanc proprietatem, iamdiu in multis atque memet ipso expertam, ut pulveris radice plantae huius *sponte ortae, extirpatae antequam caulem* *cedat*, cochlearii dimidium cum vino, aqua, lacte aut alio quovis decenti liquido pro aegroti commoditate et aetate semel sumptum aut bis, epilepsia correptos liberet. Hanc exhibendam pueris et praesertim infantibus, hoc morbo facile laborantibus, quibus lacte propinandum pulverem iussi, amicis dono dedi, qui deinde, divino prius numine fautore glorificato, pulvere huius plantae illis restitutam sanitatem affirmarunt. Hoc et aliis adultis nonnullis.“

§. 7.   
 Vt vero lectoribus, iisque inprimis, qui Medicinae sacris minus initiati sunt, innotescere queat, quaenam planta tantis encomiis celebratur, characteres *Valerianae officinalis* Linn. apponam, sequentia moniturus, quae in arte medica versatis, notissima sunt, iis vero scitu apprime necessaria, quibus artis medicae thesauri nondum omni ex parte reclusi patent: *Valerianae* Officinalis Character botanicus. *Valeriana*. Car. a. Linné Species plantarum Ed. Reichard. I, I. 84. Triandra Monogyn. Character genericus. Calix vix ullus. Margo interdum trifidus, germen coronans. Corolla monopetala subinfundibuliformis, limbo quinquefido, in quibusdam irregulari, tubo infragibbo. *Stamina* in plurimis tria: unum aut duo in nonnullis. Pistillum unicum, germine infero. Capsula monosperma aut disperma, pappo vel margine coronata aut omnino nuda.

Charact. Speciei. *Valeriana offic. floribus triandris*. Foliis omnibus pinnatis.

Synonyma. *Valeriana silvestris montana*. Bauhini *Valeriana silvestr. major, foliis angustioribus*. Morison.

*Valeriana* (Blacwell. Jcon. t. 271.)

*Valeriana officinalis* foliis angustioribus fil-  
vestris.

*Valerianae offic.* varietas, foliis latioribus, mi-  
nus efficax antecedenti.

Notandum, alias quasdam *Valerianae* spe-  
cies, imprimis autem *Valerianam Dioicam* Linn.  
et *Valerianam Phu* eiusdem, ad eam, de qua sermo  
mihi est, habitu externo, sapore, atque odore,  
ipsisque viribus accedere, quamvis minus vali-  
dos exferant effectus, eademque de causa nostrae  
speciei, quae odoris vehementia, ipsisque viribus  
alias omnes longe antecedit, palmam praeripere  
non possint.

§. 8.

Ad chemicos *Valerianae* characteres quod  
attinet, *Valerianae officinal.* radix, eaque  
primis, quae silvaticis atque montanis tra-  
ctibus sponte provenit, atque primo vere effo-  
sa, antequam planta germinet, caute servatur,  
albida est ex brunneo variegata, ex capite brevi,  
crassiusculo, multas fibras filiformes circum un-  
dique emittens (fibrosa, digitum crassitudine

B

aequans aut excedens) odoris, qui congeneribus etiam familiaris deprehenditur, adeo fortis ut Geoffroy observante, feles alliciat ob singularem, quam spirat, virulentiam. Me quidem iudice ad castoreum odore omnino accedit, atque sapore simili gaudet, specifico, ad castoreum quodam modo accedente, subamaro, leviter salito.

Extracti aquosi nauseosi, dulcis et acris quartam partem teste *Lewis*, ultra dimidium teste *Neumann*: extracti spirituosus octavam partem teste *Lewis*, sextam vero teste *Neumann* praebet: ipsi vero destillationi subiecta oleum aethereum fundit aliis rei medicae scriptoribus praetervisum, verum observantibus *van den Sande* et *Hahnemann* (La falsification des medicamens dévoilée) in apri- cum positum, ea nimirum ratione ut Radicis *Valerianae* § XVI. §iβ olei aetherei viridis exhibent, odoris fortissimi acrimonia destituti, fuit dum in aqua non petentis.

§. 9.

Ad ulteriorem plantae nostrae historiam quod attinet, sequentibus sectionibus eam omni-

no illustratum iri confido, neque aliud quidquam moneo, quam Valerianam officinalem, a *Fabii Columnae* inde temporibus, quotidie magis magisque inclaruisse, et nostra imprimis aetate praecipuis remediis nervinis accenferi. Praeter *Fabii Columnae*, *Neumann*, *Fr. Hoffmann*, *Lewis*, *Mellin*, *Spielmann*, *Lörcke*, *Geoffroy*, *Selle*, *Habnemann*, aliorumque laudes Valerianam celebrarunt egregii viri:

Spiefs Monograph. de Valeriana Helmft:  
1724.

Ioh. Hill the virtues of wild Valerian in nervous disorders. et.

Dresky Diff. de Valeriana officinali. Erlang.  
1776.

## SECT. II.

*De viribus Valerianae officinalis.*

## §. 10.

Vires Valerianae nostrae expliciturum, regulas, quae sequuntur, proponere me oportet quarum singulas ampliori commentario exornabo.

I. Primum principium Valerianae officinalis, ejusque inprimis quam silvae et montes producant, *salino amarum, vires ejus resorcentes atque antisepticas* videtur indicare.

II. Principium, quo pollet, *subnauseosum*, vires *antebelminthicas* atque si maiori copia propinatur, per superiora atque inferiora *purgantes*, videtur promittere.

III. Principium ipsius volatile, *oleoso-vaporesum*, quod odore atque sapore huius plantae aperte declaratur, et cui imperium in omnia radicis Valerianae principia constitutiva debet conferri, non solum effectum *sudoriferum* et *diureticum* ipsi tribui debere suadet, sed inprimis vim eius *nervinam*, antispasticam, luculenter demon-

frare videtur. Optimorum auctorum fide et nostra experientia, observatis exemplis singulas Radicis huius praestantissimae vires dilucidare animus est.

§. II.

Ad primam igitur vim Valerianae officinalis quod attinet, *resolventem* nimirum ipsius indolem, experientiae testimoniis edocemur, ipsam continuato usu exhibitam, cataractae incipienti medelam afferre. Tum quidem vel in substantia propinata, vel iubente Löseke, primo vere recenter effossa, et cum vino infusa vel etiam sub forma expressi succi adhibita maximae utilitatis est, ea imprimis methodo exhibenda, quam Ioach. Camerarius (Epitome I. A. Mathioli Commentar. in Dioscorid. (1586 p. 21) hisce verbis describit. „Oculorum inquit claritatem adiuvat Phu Dioscoridis, ubi vinum, in quo decocta Radix fuerit, guttatim instillatur.

Huc etiam vires eius *resolventes* atque *antisepticas*, quarum causa extus adhibita, *Traumaticis* a quibusdam accensetur, referre, huc eius indolem, tumores frigidos resolvendi, reponere lubet, quam teste eodem I. Camerario in

tumoribus et collectionibus serosis exferit: plurimum enim ac „peculiariter valent Phu' minoris „Radices ad testium tumores, a frigiditate aut „flatu genitos: si in vino decoquantur, et vapore fumi suffiantur testes.“ Neque eximias vires Valerianae silebimus; quam sub nomine *Φου* *Dioscorides* ad pleuriticos affectus multum conferre dicit.

§. 12.

Vim *antifebrilem* huius radices hoc loco paucis commemorasse sufficiat, cui aequo iure analogiam quamdam cum cortice peruviano tribuo, quo *Cartheuser* ipsam habito virium respectu, Radici *Serpentariae virginianae* comparare fatagit (fundam. Mater. Medic. Tom. II. pag. 86.) ob amarum quippe principium, quo instruitur, lentorem Fluidorum, quo febrium intermittentium fomes continetur, resolvere, atque alius virtutis nervinae, quo pollet auxilio, Solidi vivi statum naturalem restituere, eodemque modo feбри intermittenti mederi poterit. Huic vero scopo satisfacturum, repetitis vicibus largas Valerianae doses, aliis resolventibus coniunctas propinare, neque quod credulo vulgo olim attri-



fit, aegrotantibus amuleti loco ipsam adpendendam curare, nullo suafore omnes concedent. In aliis autem febrium generibus, nervosa scilicet lenta, atque putrida febre Valerianam officinalem magni esse momenti, pluribus infra demonstrabitur, quae hoc loco anticipari nequeunt.

§. 13.

Vim anthelminthicam atque evacuantem Valerianae nostrae ipsa experientia abunde comprobabat. Testimonio ill. Lewis Extractum Valerianae aquosum nauseosam eius indolem longe apertius declarat radice ipsa, cuius odor fragrans atque vaporosus, cuiusque sapor aromaticus debilem saporem odoremque nauseosum prorsus obscurat. Simili modo *Agaricus officinarum*, remedium praestans et nostro quidem aevō me indice nimis neglectum, ob amarum, quod ipsi insitum est, principium, indolem, qua pollet, nauseosam sensibus minus obviam praebet, quamvis aequè purget, atque revera aequè nauseosum existat, ac plurima alia nauseosum principium declaraturā vehementia. Nescio vero, libenter fateor, unde sit repetenda huius medicaminis in Arthritidem ef-

ficacia, quam in Clinico medico, auctoritate illius praesidis, in nonnullis hocce morbo laborantibus experiri mihi licebat. Quod vero ad pulveris usum attinet, eum fugiendum esse censeo, cuius loco infusum ex pulveris Agarici ʒj et aquae ferventis ℥iʒ sine ullo aegrotorum incommodo exhibuimus. Redeo nunc in viam unde digressus sum. Ipsa Valerianae radix modica dosi propinata anthelminthicum sinit, maiori autem copia exhibita vel alvum ducit vel emesin excitat, iisque profecto affectibus, qui Saburrae verminosae originem suam debuerunt, eximium lenimen adfert. Hinc, quod sequentibus auctorum testimoniis probabitur, in spasticis motibus, qui a Vermium intestinalium colluvie ortum repetunt, in Chorea S. Viti, Epilepsia aliisque huius generis pathematibus tantum valet.

§. 14.

Ad *sudorificam* atque *diureticam* Valerianae indolem demonstrandam primo quidem egregie confert testimonium *Dioscoridis*, qui »περι ὑλης ιατρικῆς.« A. 1. »φου, inquit, ἡ δε ρίζη ἰσχυρὰ δυνάται θερμαινεῖν, αὐρὰ κινεῖν, ξηρὰ ποτιζομένην.

καὶ τὸ ἀποζέμα δὲ αὐτῆς τὸ αὐτὸ δύναται ποιεῖν  
καὶ πρὸς πλευρᾶς πόνον. ἐμμηνά τε αἰεὶ καὶ ἀντι-  
δοτοῖς μίγνυται.“ Radix Phu in substantia  
epota calefacere atque diuresim promovere va-  
let. Ipsi vero decoctum iisdem viribus pollet.  
Pleuræ quoque dolores iuvat, mensesque pellit.  
Antidotis etiam miscetur.

Quamvis autem scopo sudorem atque uri-  
nam ciendi cum alia nonnulla longe efficaciora  
nobis officinae suppeditent, Valerianam rarissime  
adhibeamus, in nonnullis certe casibus, ubi  
Spasmos demulcere, et sudorem ciere atque uri-  
nam una provocare ex re videbitur esse, Vale-  
rianæ Radice uti commode poterimus. Ita qui-  
dem felicissimo cum successu ill. *Crüger* Ischiadem  
Valerianæ usu profligavit; cui ill. *Werlboff* suf-  
fragium fert, Radice Valerianæ per integram  
hyemem continuo data Ischiadem prorsus a se  
curatam professus. Longe tamen apertius dia-  
phoretica vis Valerianæ innotuit ex observatio-  
nibus modo laudati *Crüger*, cum sub largo sudo-  
ris profusio Valerianæ ope, insultum epilepti-  
cum compesceret. Cf. *Ephemerid. Nat. Cur.*  
Dec. II. anni VII, p. 140, vbi plura exempla



commemorantur epilepsia correptorum, quibus, drachma pulv. Rad. Valerianae sylvestris vehiculo aquae cuiusdam diaphoreticae quotidie propinata post largum sudoris profluvium cum sanitatis restitutione paroxyfmi imminuebantur ac tandem cessabant.

§. 15.

Haec autem nobis viam sternunt ad considerandas eas vires Valerianae officinalis, quae inter alias maxime conspicuae deprehenduntur: nervinas inquam et spasmis contrarias.

Haec quidem tanti sunt momenti, tantaeque utilitatis, ut Valerianae inter alia nervina palam deferre opus videatur, vel alias vires neglecturo, quibus tantopere eminent. Hanc nempe indolem, spasmis contrariam atque nervis amicam omnes, vno ore deprædicant, qui medicinam propria observatione ditarunt. *Fabium* quidem *Columnnam* ex Lynceorum numero, supra iam honoris causa nominavi inventorem nobilem nobilis medicamenti. Nescio, quonam iure Janus Plancus Ariminensis, vitam *Fabii Columnnae* conscribens, eius *Φυροβατανα* praemissam, sup-



ponat, Fabium, qui egregii medicamenti in se ipso periculum fecerat, non sine felicissimo successu, recidivam morbi comitialis sub vitae suae finem passum esse. Videntur mihi omnino fundamentis solidis destituta, quae sequentibus protulit: „quaerenti mihi, quonam in loco ultimis hisce annis Fabius Columna vixerit, quid egerit, ubi denique supremum diem obierit, sepultusque fuerit, post longam inquisitionem allatum est, extremis vitae annis longo studio diuturnisque laboribus velut fractum, et *FOR-TASSE* comitali morbo iterum correptum, fractum denique esse, ut — eum vivere nemo amplius nosceret.“ Miror quam parum his verbis Plancus auctoritati nobilissimi eius viri consuluerit, cuius laudes alias tam iustis titulis deprædicat.

§. 16.

Post Fabium Columnam alii auctores gravissimi vim huius Radicis antispasticam miris laudibus efferunt. Vaporosum enim medicamento- rum principium, aptiori forte denominatione feris nepotibus magis appariturum, quod in Castoreo prae caeteris manifesto se prodit, diversis Va-

lerianae officinalis partibus imprimis vero eius  
radici inesse deprehenderunt. Et quod mirum  
videatur, graveolentibus, iisque imprimis, quae  
magna virulentia nares feriunt, ipsisque foetidis  
in genere vis quaedam inest, nervosum genus  
fatis validis stimulis afficiendi. Huic vero censui  
Valerianam quoque annumerare debemus. Hinc  
characterem, nervis a qualicumque causa remo-  
tiori impressum et spasmorum generationi faventem,  
egregie obliterat, ita quidem, ut spasmorum  
effraenis vehementia paulatim fileat, et  
mulceatur. Hinc plurimis in casibus medicamentum  
nobis sistit, non solum specifica indole  
spasmis contraria Empiricis maxime expeditum  
atque palliative sublevandorum symptomatum  
curationi destinatum sed ipsam quoque convulsio-  
rum motuum causam remotiorem, quam vel  
menstrua suppressa, vel saburra verminosa, vel  
ipsa generis nervosi prava sensilitas continet,  
prorsus tollere et cum symptomatibus morbum  
ipsum curare simul queat. Multi sane fuerunt  
auctores in reliquis Valerianae laudibus celebran-  
dis: verum palmam tribuunt viribus eius anti-  
spasticis: qua de causa praecipuas, quas memo-  
riae olim mandaverunt, de viribus Valerianae

observationes infra adducendas et propriis testimoniis augendas credidi. Jam vero de effectibus, Valerianae ope productis, nonnulla moneri debent.

§. 17.

Praeter eos igitur effectus, qui Valerianae respectu incipientis *cataraetae* ipsiusque Guttae Serenae tribui debent, de quibus supra sunt verba facta, nonnulla commemorari debent, quae effectum eius sudorificum spectant. Cum enim non solum functiones nervosi systematis iusto tramite conservet, sed in ipsam quoque massam sanguinis eo stimulo agat, ut circulo sanguinis aucto perspiratio cutanea aliquantulum adaueta iungatur quamvis humores nullo Orgasmo abnormi concitentur, Valerianam tanquam vnum ex praestantissimis Febris putridae ipsiusque lentae nervosae praesidiis considero: eamque, quamvis iusto parcioribus Medicorum encomiis ornetur, frequentissimo usu adhibendam suadeo. Omnibus enim indicationibus, tempestive scilicet exhibita, egregie satisfacit, quas adeo dirus et periculi plenus morbus formandas iubet. Antisepticum, amarum, nervos excitans, spasmos specifica vi demulcens, simul et diaphoretica indole conspicuum medicamentum, unica nobis sistit Vale-

riana, omnesque eas dotes, quas, unico forte peruviano Chinchinae cortice excepto, in aliis medicamentis iunctas frustra exspectabis, collectas in se, et ut ita dicam, quasi concentratas exhibet. Hinc iure quodam meo Valerianae officinalis radicem, tamquam eximium putridarum ac nervosarum febrium praesidium, magni facio.

§. 18.

Aequam vero laudem Valerianae tribuerunt effectus, quos in Epilepsiam, Eclampsiam atque Choream S. Vit. exferit. Vix ausim, brevitati mihi studendum esse cogitans omnium, qui de Valerianae effectibus observationes nobis reliquerunt, testimonia atque encomia conferre, cum eorum auctorum ingens numerus prosteret, qui laudes Valerianae in omnibus convulsionibus cito ac tuto curandis eximias depraedicant. Ea tantum collaudasse sufficiat, quae debitos honores praestantissimo huic medicamini vindicatura mihi videntur. Quibus testimoniis praeter illustris inventoris praecepta supra adducta, testimonium ill. *Boerhave* annumero, qui iustis laudibus ad curandos motus convulsivos Valerianae radicem celebrat.



Ill. quoque *Chomel* (Traité des plantes  
 usuelles) praeviis medicamentis alvum ducenti-  
 bus aut pro re nata emeticis, per triduum pulv.  
 Rad. Valerianae ʒʒ aut ʒj pondo ieiunis exhi-  
 buit, eiusque effectibus tantam fidem adhibet  
 ut generale remedium eam adpellet, cum pluri-  
 mos aegrotos, qui vel quatuor annorum decursu  
 ter vel quater singulis mensibus dirae convulsi-  
 vorum motuum calamitati obnoxii fuerunt, tem-  
 pore remissionis tremore continuo laborantes,  
 unice Valerianae auxilio fanitati in integrum re-  
 stitutos videret. Idem quoque ill. *Marchand* ob-  
 servavit, factasque observationes, notatu dignif-  
 simas, cum erudito orbe communicavit. (Cf.  
 Mémoires de l'Academie Royale des Sciences  
 à Paris. 1706.)

§. 19.

Testimoniis horum auctorum ill. *Franciscum*  
 de le Boe *Sylvium* addere fas sit, qui satis ma-  
 gnis encomiis Valerianam exornare sibi videtur,  
 eius radicem ipsi Paeoniae praefendam esse de-  
 clarans. Hic certe primis annumerandus est,  
 qui post *Panarolium*, *Fabii Columnae* vestigia pre-  
 mentes, morbos epilepticos Valerianae viribus

debellare sunt ausi. Multi alii, magni nominis viri, Ill. *Wepfer*, *Mead*, *Whytt*, qui Maniae iunctam Epilepsiam Valerianae ope curavit, *Werlboff*, qui amaurosin Colicae et convulsivorum motuum pedissequam eadem radice propugnavit, *Tissot*, *Albert ab Haller* aliique, quorum nomina inter eruditos medicos celebrantur, vnanimi consensu miros Valerianae effectus adversus convulsivos omnis generis morbos maximis extollunt laudibus.

Ex omnibus certe optimorum auctorum testimoniis clarissime evincitur, morbos convulsivos, Choream S. Viti, omnemque Epilepsiam, tam idiopathicam, quam symptomaticam egregie Valeriana mediante profligari. Hoc vero habito respectu causarum huius morbi terrifici, notatu aequè dignum videtur, quod Epilepsiam a menstruis retentis oriundam Valerianae ope superatam *Lentilius*: *Schubmann* vero aliam eodem medicamento sublatam narret, quae gravissimo terrori natales suos debuerat. Sufficerent, quae hucusque adducta sunt, testimonia scopo nostro extra dubitationis aleam ponendo, nisi aliquas observationes prioribus jungere luberet.

## §. 20.

Non enim solam Epilepsiam, quam mihi ipsi in iuvene verminosae saburrae non parum suspecto vincere nuper contigit, cui post euacuationem, femine cinae, pulvere Rad. Ialappae et mercurio dulci institutam, et per aliquot dies continuatam sequens Electuarium repetitis vicibus exhibui.

**R.** Mellis despumati ℥iv. Syrup. cort. aurant. ℥ij. pulv. rad. Valer. sylvestr. ℥iβ pulv. cort. peruv. ℥β. M. F. Elect. intra quatuor dies consumendum: non solum, inquam, Epilepsiam, aut Choream S. Viti, quam ill. *Brisbane* Valerianae pulvere profligavit, nobili hocce medicamento curare nobis licet, sed aliis quoque diris morbis praesentaneum, ferre auxilium, qui nervorum affectioni debentur. Ita quidem Hemicraniam, per tres annos pertinaci furore infestam, qua laborabat olim ill. *Fordyce*, huius radice ℥iij in Electuario quotidie assumtis, tandem felicissimo successu sanavit. Ita et asthma convulsivo liberatos non nullos Valerianae usu narrat ill. *Ioseph. Pitton de Tournesfort*, unciam huius radice unam aquae bullientis s. q. infundere iubens,

huiusque infusi unum atque alterum vitrum quotidie ebibendum propinans.

§. 21.

Quantum quidem inter effectus nervosos omnis generis, atque eos inprimis, qui convulsionibus stipantur, interque eam debilitatem, quae machinae animali ab excretionem genitalis liquoris infertur, et pravam nervosi systematis sensibilitatem independentem intercedat commercium, de eo quidem inter omnes constat, eamque ob causam amplam argumentorum farraginem de re vulgo notissima conferre superfluum duco. Probatur enim nimis ampla observationum caterva, quam rei medicae scriptores congefserunt, asserti nostri veritas, probatur hei! nimis frequentis experientiae quotidianae testimonio. Vnicum vero exemplum ejusmodi motuum convulsivorum adduxisse sufficiat, ab ill. *Sauvages* commemoratum, qui per duodecim annos excretionem feminalem convulsivis motibus stipatam, et nihilominus Valerianae ope statui naturali restitutam annotavit: cui observationem casus memoratu digni subiungam, a me ipso institutam, quae effectus Valerianae praeclarissimos in omnibus iis

mathematibus demonstrare valet, quae a nervis  
 affectis ortum trahunt.

§. 22.

Amicus quidam familiaris, iuvenis  
 XII. annum agens, pravo consortio olim  
 nono inde anno ad perpetrandam Onaniam  
 ductus, et maximopere debilitatus, anno de-  
 cimoquinto dedecoris atque periculi, quod ip-  
 sum urgebat, conscius simul reddebatur. Ad  
 meliores igitur fruges rediens sobrius vixit,  
 corpore nihilominus enervato. Tertio post  
 mense pollutionibus, primo quidem rariori-  
 bus, postea vero frequentissimis laborare coepit,  
 quibus ansam praebere solebat, inter lasciva phan-  
 tasiae oblectamenta somno se tradens: eo ni-  
 mirum errore deceptus, quod pollutionibus no-  
 cturnis non nisi superflui seminis iacturam fieri pu-  
 teret. Verum brevi tempore pessimum errorem  
 novit, adeo debilitatus, ut Medici cuiusdam  
 consilia flagitare cogere, qui varia incassum  
 contulit, nec quidquam fere intentatum reliquit.  
 Quaecumque enim libidinem excitare, quaecum-  
 que nimium corpori alimentum praebere posse

videbantur, sedulo vitare cogebatur, neque ta-  
 men morbum atrocissimum, qui ipsi immine-  
 bat, tabem nimirum dorsalem vitaturus vi-  
 debatur. Per trium itaque septimanarum spa-  
 tium, quum ab omni medicamentorum usu pro-  
 fus abstineret: en, Valerianae usum ipsi suaderi  
 consitui. Sub initio quidem scrupulum vnicum  
 exhibui, cuius ope aliquot diebus praeterlapsis  
 vires suas refocillatas et sentire et declarare  
 coepit. Ego vero, ut noctu vigilans interdum som-  
 num caperet, suavor et auctor ipsi exstiti, cum  
 diurno somno correptus pollutionibus nequaquam  
 obnoxius esset. Dosis autem Valerianae de die  
 diem auxi, ita quidem, ut drachmam integram  
 quotidie assumeret, nauseae vitandae gratia  
 calami aromatici iunctam. Unico huius medicame-  
 menti usu intra duos menses non solum dira  
 symptomata prorsus profligata sunt, sed postea  
 quam vere novo aquas martiales Pyrmontanas  
 balnea frigida adhibuisset, sanitatem recuperavit  
 qua se hucusque fructum, litteris nuperrime  
 me datis testatur. — Idem quoque medicame-  
 tum simili methodo et simili cum successu adhibi-  
 tum, ad alius amici eodem morbo laborantis

debilitate vitiosa correpti, maximum emolumentum cessisse, itidem observavi.

§. 23.

Haec de indole radicis *Valerianae officinalis* egregii atque inter multas alias materiae medicae divitias longe lateque fulgentis medicaminis dicta sufficiant.

Quicumque medicamentorum vires diudicare valent, eam praestantissimis medicamentis dudum annumerandam censuerunt: ego vero nullus dubito, unumquemque vel profus Medicinae rudem atque expertem, postquam haec pagellas attento animo perlegerit, de eximia Valerianae nominis praestantia satis aptum iudicium esse laturum optandum sane foret, ut nulla alia nisi hac una radice, tamquam genuina atque universali Medicina diros morbos auderent proffigare, qui ruri medicorum funguntur officio, quamvis medicinam nunquam srite edocti. In quam plurimis nimis morbis recte, in paucis perperam adhiberi poterit, et rarissime ullum detrimentum afferet egrotantium rebus. Hos vero monitos volo,

ut fedulo sibi caveant, ne Valerianae loco alia  
radices arripiant, vel ipsis reliquis Valerianae  
speciebus decipiantur, inertibus quoad effectum  
verumtamen Valerianae officinali non parum simi-  
libus habitu atque graveolentia.

Ipsorum eorum Causa, qui Medicinam pro-  
fitentur, plantas inter alias omnes Valerianae  
officinali maxime affines paucis adhuc commemo-  
rare fas esse existimo.

§. 24.

Huc nempe pertinet *Valeriana diotica* L. et  
*Valeriana Phu* eiusdem auctoris: de aliis quippe  
aut aromatica fragrantia, uti *Valeriana celtica*  
aut insipida fatuitate evictum est, eas ad Valeria-  
nam nostram minime accedere. Quis enim ver-  
bi gratia *Valerianam olitoriam* (Phytevmatis aut  
Rapunculi succedaneam, unde perperam (*Klein*  
*Rapunzel* vocatur) cum Valeriana off. confundat  
Fieri prorsus nequit, quin aliae omnes Valeria-  
nae species duabus forte prioribus exceptis, vel  
primo obtutu ab officinali, cuius notas supra ad-  
duximus, satis superque distinguantur. Haec  
nempe, quas brevibus modo describendas aggre-



dior longe paucioribus signis distinguuntur, se-  
gnem observatorem facile decepturis.

Magna enim similitudo atque affinitas tri-  
bus Valerianae speciebus, Val. officinali, Valer.  
Phu et Valer. dioicae intercedit: magna analo-  
gia habitus, ipsiusque odoris et saporis, qui,  
quamvis in Valeriana officinali, ut cum Diosco-  
ride loquar, maiorem virulentiam spargit, utri-  
que tamen plantae cum priori communis existit.  
Hinc, quamvis minus apte, tamquam legitimae  
Valerianae offic. sylvestr. succedaneum solet utri-  
usque speciei radix adhiberi, radici Valerianae  
officinalis, quae solo palustri aut ipsis hortis pro-  
venit (quae quidem culta cum odoris gravitate  
specifica specificas etiam vires magna ex parte  
amittit) non prorsus dissimilis. Officinis autem  
sylvestrem servari oportet.

§. 25.

Quicumque vero attentius paululum utram-  
que plantam cum legitima Valeriana officinali,  
eiusque imprimis varietate angustifolia compara-  
verit, facili negotio characteres detegat, utrius-  
que plantae discrimen constituentis. Valerianae  
nempe dioicae Linn. Flores hermaphroditae non

sunt, quemadmodum flores *Valer. officinalis*, sed in distincto individuo nunc masculi nunc feminei observantur. Hoc sane caractere a *Valeriana offic.* differt, cui alias satis similis existit. *Valeriana* vero, cui nomen *Phu* Linné tribuit, quamvis habitu ab antecedentibus satis distinguatur, maxime tamen foliorum ratione differt. Ea nimirum folia, quae ex caule ipsius erumpunt, vario modo incisa, quae vero circa radicem proveniunt, integerrima atque indivisa observantur. Quod concinna brevitate immortalis a Linné sequenti descriptione specierum indicat.

*Valeriana* 1. *offic.* Floribus triandris, foliis omnibus pinnatis.

— — 2. *dioica.* Floribus triandris, foliis omnibus pinnatis, integerrimis.

— — 3. *Phu.* Floribus triandris: foliis caulinis pinnatis, radicalibus indivisis.

§. 28.

Finem huic tractationi imponam, postquam de methodo, ipsam *Valerianae sylv. radicem*, eiusque varia praeparata exhibendi verba fecero: Pharmaceuticae quidem praeparationis regulas,

in quamplurimis Dispensatoriis abunde et fatis perspicue descriptas verbosè exponere nolo, eosque, quorum haec scire interest, ad eiusmodi libros remitto.

Hoc vero ipsis verbis ill. *Cartheuser* monebo, quod fatis inculcari nequit, ipsam radicem in substantia propinatam, longe praestare omnibus medicamentis, chemica arte ex ipsa elicitis. Neque infusum eius aquosum aut vinosum, neque decoctum pulveri Radicis vase clauso rite servatae aequiparandum esse, *Fundament. Mat. Medicae II. p. 87.* his verbis indicat „vix opus quoque „est, inquit, vt in quovis morbo, cui opitulari solet, in pulvere exhibeatur, sed subinde quoque vino infundi, imo inter decocta recipi potest; (cui asserto ego quidem assensum praebere „nolo); certo tamen certius est, radicem pulverisatam in adfectibus epilepticis efficacissime operari.“ Quod de epilepticis affectibus Vir eximius praedicat, meo certe iudicio de aliis quoque affectibus valet, quibus curandis Valerianam adhibere solemus.

Decoctione nimirum omnes huius radicis vaporosae atque volatiles particulae prorsus fugantur, atque Remedium, alias longe efficacissi-

mum, praeter levem quemdam saporem falsiusculum et amaricantem, menstruo, quocum decoquitur, nihil plane impertire valet. Infusum vinosum aut aquosum, non omni ex parte mihi improbatur.

§. 27.

Extractum quidem, *Methodo Garayana* paratum, ipsi radici in substantia propinatae anteferendum, aut certe aequiparandum videtur. Aqua destillata radicis odorem conservat, atque tamquam fatis aptum medicamentorum nervinorum, vehiculum iubente *Geoffroy* vel ad uncias sex propinatur. Cum ipsius radicis magna copia impune exhibeatur, non video, quidnam in aquae eius destillatae largis haustibus propinandis cautos nos reddat atque circumspectos. Utamur fatis libere remedio cui procul dubio magna pars virium adhuc inest, quibus ipsa Valerianae radix olim pollebat, quod neque effectu diaphoretico neque nervino destitutum esse experientia declarat. Ipsa quidem Radix Valerianae sylvestris sub forma pulveris aut extracti medicamenti quamplurimis miscetur aut Veteribus aut Recentioribus usu frequenti fatis solemnibus, verbi gratia *Mithridato*, *Theriaca coelesti*, *Aquae Theriacali*,

*Aquae Hirundinum, aquae antepilepticae, Tincturae cephalicae Edin. Pulveri antepileptico Edin. NEC NON Essentiae Bezoardicae Hermannii (Ess. Valerianae compos. Wirtembergensium) ipsique Unguento martiato Parisiensium admiscetur.*

§. 28.

Inter alia autem, quae ex Valerianae Radice componuntur, medicamenta eminent *Tinctura Valerianae simplex* et *Tinctura Valerianae volatilis* Londinensium, quarum prior leni digestionem Radicum Valer. sylv. cum Spiritu vini rectificato in Balneo Mar. instituta paratur: altera vero infusione frigida cum Spiritus salis ammon. oleosi, sive salis volatilis oleosi Sylvii triplo pondere e radice Valerianae elicitur. Ob egregium, quam in febribus, quae vulgo malignae nuncupantur exerunt, effectum, magni sunt aestimandae, eademque de causa operae pretium facturum me existimavi, si utrumque medicamentum in memoriam eorum revocarem, qui aliis minus efficacibus remediis detinentur, praestantissimi medicamenti prorsus obliti, quod magnum Valerianae nomen prae se fert.

## HVMANISSIMO AVCTORI DISPVTATIONIS

S. D.

LVDOV. HENR. IAKOB

PROFESS. PHILOS. EXTRAORD.

Quod dudum optaveram, Amice Doctissime, animoque meo carissime, ut amoris erga TE mei publicum extaret testimonium, id laetor contigisse hoc tempore, quo opera TVA haectenus in litteris laudabiliter collocata in lucem prodit.

Gratulor igitur TIBI, si quis alius ex animi sententia Doctoris honores atque, ut debeo laetor, quod qui iudices sedent doctissimi ac celeberrimi TE summis in medicina honoribus dignissimum aestimaverint. Quam laudem primum ex studiorum ratione TIBI esse comparatam censeo. Solebas enim, quod Veteribus semper probatum fuit cum arte Tua philosophiae studium coniungere, quo medicinam non parum adiuvari quis est, qui ignoret? Quamvis enim omnia scientiarum genera communi vinculo coniuncta sint, cum medicina tamen nulla coniunctior esse potest, quam philosophia; deinde autem diligentiam adliduam in doctrinis solidioribus discendis adhibuisti, quae hodie a multis abesse solet. Iam vero, cum semel studiorum ac verae doctrinae suavitatem expertus sis non est dubitandum, quin in hac via pergas et expectationi TVORVM, quae magna et est et

esse debet, respondeas. Vera autem doctrina maius quiddam est, quam ut possit inter lusum et duorum triumve annorum angustias comparari; opus est nocturna diurnaque meditatione, usu multo, studio fatigari nescio, si quis velit regia illa et vere [unica via ad Doctrinae solidioris templum contendere. Quod sane in hac nostra aetatis levitate, quae audaciam pro sapientia, verborum volubilitatem inanem et intelligentibus irridendam pro eloquentia, opinionumque umbras pro raris diuque versatis sententiis complecti solet, identidem ac graviter monendum esse videtur. Neque Vestros nefanda illa lues intacta reliquit; cum empiricorum plebs, qui artem discere volunt medicinae scientiam negligunt, numquam fuit frequentior hoc nostro tempore. Res TVAS igitur fortiter age, amice dulcissime, fisque unus ex illis qui impediunt, quo minus detestanda illa barbaries terras nostras repetat, hominumque veram dignitatem, quae est in sapientia verique notione et usu, radicitus delet. Ceterum vale, meque amare perge. Serib. Halae d. XXVIII. Mai MDCCCLXXXIX.

ORNATISSIMO AC NOBILISSIMO VON ACKERN,  
AMICO OPTVMO

S. P. D.

I. E. FERDINAND SCHVLZE

MEDICINAE ATQVE PHILOSOPH. DOCTOR.

Vitae humanae quid gratius, quid iucundius Dii concessere illa, quae animi candore similes inter se arctissimo vinculo nectit, amicitia? Magnum certe optimum cuique solatium praebet amici consuetudo, voluptatis aerumnarumque suarum participis, cum ea sit vitae nostrae conditio, ut voluptatem augeri, curas vero atque dolores sublevari amicorum integritate animadvertas. Hoc sane nomine, (TE, quem honoris causa nomeno, ill. v. ACKERN), amicum mihi contigisse, dudum non sine laetitia agnovi, TE, quem mutuo vinculo animi candor et antiqua fides aequae carum mihi reddiderunt, quam communis studiorum provincia. Nonne igitur me, qui amicis tuis adnumerari, a longo inde tempore studui, publicum amicitiae meae testimonium exhibere tibi oportet, cum Optimi cuiusque suffragium per omne tempus, quod apud nostrates litterarum studiis consecrasti, TE retulisse animadvertens, ingenii atque impigri ardoris, quem medicorum scien-



tiae dedicasti, praemiis tandem TE ornatum videam?  
 Ingenii animique dotibus insignem debita praemia re-  
 portare, aequum ac gratum omnibus videtur: cui vero  
 magis, quam mihi, quem amicitia ac pietas tam multis  
 nominibus antiquum atque familiarem TIBI reddidit?  
 Gratulor itaque TIBI festae diei solemnitatem, qua TE,  
 tamquam patriae, amicis et litteris aliquando profutu-  
 rum designari video. Gratulor illustri TVAE ac splen-  
 didae genti, cui non sine laetitia tam ornatum virum  
 inter Suos adnumerare contigit: gratulor reipublicae lit-  
 terariae de TVIS conatibus, qui in scientiarum aliquan-  
 do vergent incrementum: gratulor bonis omnibus de  
 probo viro, qui candido animi ardore bonorum publicis  
 commodis aliquando inferviet, quemadmodum hucus-  
 que infervire coepit. Mihi quidem ipsi quantum de  
 amicitia TVA gratuler, quae me hucusque non indignum  
 iudicasti, dici vix potest. Hoc sane, si quid aliud,  
 amicitiae TVAE pignus abs TE efflagitare mihi liceat,  
 vt amicitiam TVAM aequae constanti animo in posterum  
 quoque mihi conserves. Hoc mihi in votis esse, tibi  
 testor, et fausta atque felicia quaevis TIBI apprecor.  
 Vale. Dab. Halae die 29. Maii cIo Io CCLXXXIX.

---

AMICO DILECTISSIMO

S. P. D.

G. I. M. PÜTTER

---

Veteris amicitiae et quotidianae consuetudinis nostrae memoriam revocanti mihi varia se offerunt, quae animum movent sensusque iucundissimos excitant, quae vero verbis exponere tibi nullo modo possum. Attamen hoc die, TIBI TVISQUE non uno nomine festo gratulantium multitudini necessitudo, quae mihi TECUM intercedit, deesse vetat. Sed ignoro fere, quid praeter nomina nostra gratulationi apponam; ea enim est eorum coniunctio, ut non dubitem, quin TIBI plura in mentem vocent, quam quae vota verbosissima possunt excitare. Scio quoque ad publicam TVI aestimationem parum facere epistolam, qua laetitiam testor meam de TVIS in hac Fridericiana feliciter peractis studiis et consequendis summis in medicina honoribus; cum neque nominis mei claritas neque scriptionis gravitas ea sit, qua TV possis laudari. — Id igitur unum est scribendi consilium, ut publice profitear, quanti TE faciam, et eius consuetu-

dinis memoriam TIBI revocem, qua iam per triennium gavifus sum. Amici mihi neque hora, neque diebus neque mensibus quidem comparantur; multa enim sunt in amicis eligendis observanda et cavenda; quare quos habeo, pauci sunt sed intimi, inter quos vero TU, coniunctissime ab ACKERN, non ultimum tenes locum. Iam a TE peto, ut talem TE mihi etiam absentem conserves, qualem TE semper expertus sum. Sit nobis idem animus, ut est eadem patria. Expectat te laurea apollinaris in Academia nostra, cui multos bonosque cives nutritisse prae ceteris contigit. Quo quidem publico studiorum praemio omnibus sine dubio dignus videberis, ita ut alii exemplum habeant, quod secuti, ad suos regrediantur iisdem laudibus et honoribus insignes, quibus TE ornatum mox conspiciemus. Vale. Dabam in Paedagogio regio glauch. d. 28 Mai. 1789.

---

Thef. I.

Nervorum actionem ab ipsa nervorum structura, qua  
contrahi extendique possunt, praecipue esse repeten-  
dam, censeo.

Thef. II.

Resorptio unice vasis lymphaticis peragitur.

Thef. III.

Nutritionem foetus per os nego.

Thef. IV.

Pus sine praegressa inflammatione oriri nequit.

---

D


02 H 782

**ULB Halle**  
003 099 202

3







Farbkarte #13

B.I.G.

DE  
 VALERIANA,  
 EIVSQVE CHARACTERIBVS,  
 VIRIBVS ATQVE EFFECTIBVS  
 DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA,

---

QVAM  
 CONSENSV GRATIOSI  
 MEDICORVM ORDINIS  
 PRO  
 SVMMIS IN MEDICINA HONORIBVS OBTINENDIS  
 PVBLICE DEFENDET  
 DIE III. IVNII MDCCLXXXIX  
 AVCTOR  
 DANNES CAROLVS VON ACKERN  
 SVECO-POMERANVS.

---

HALAE,  
 LITTERIS FRANCKIANIS.